

vnam summam collecti faciunt 404. non autem 396. vt quæstio proponit. Quòd si primo addas 10. vt fiant 130. & à secundo auferas 20. vt relinquuntur 124. tertio item adijcias 8. vt fiant 88. & à quarto demum auferas 6. vt remaneant 54. efficient hi quatuor numeri 396. Vt autem habeant dictas proportiones, auferendi erunt prius numeri, & addendi, qui additi sunt, & subtracti: Ita vt vere 130. ad 124. proportionem habeant, quam $\frac{1}{2}$. ad $\frac{3}{4}$, si prius 10. detrahantur ex illo, & huic adijciantur 20. vt recte dicatur numerus 130. continere $\frac{1}{2}$. & præterea 10. numerus vero 124. continere $\frac{3}{4}$. minus 20. &c.

25. Est cisterna habens in imo fundo tres Quæst. 25.
fistulas inæquales: maxima reſerata, effluit tota aqua in 2. horis; media autem aperta, effluit tota aqua in 3. horis; minima denique aperta effluit tota aqua in 6. horis. Quanto ergo tempore, reſeratis omnibus tribus fistulis, tota aqua effluet, si per singulas fistulas à principio vsque ad finem aqua semper eodem modo effluat? Sumpto minimo numero, quem tempora in quæstione expressa, nempe horæ 2. 3. & 6. metiantur, qui hic est 6. dic. Si maxima fistula in 2. horis vnam cisternam exhaurit, quot cisternas in 6. horis exhauriet? inueniesque 3. Item si media fistula vnam cisternam exhaurit in 3. horis, quot cisternas in 6. horis exhauriet? inueniesq; 2. Item si minima fistula in 6. horis vnam cisternam exhaurit quot cisternas exhauriet in 6. horis? inueniesque 1. vt hic vides.

N 4

Horæ,